AD

EXAMEN PUBLICUM

DIEBUS XXV. ET XXVI. MARTII

HORIS ANTEPOMERID. VIII—XII. ET POMERID. II—V.

INSTITUENDUM

ET SOLEMNIA INSEQUENTI DIE HORA IX.

RITE CELEBRANDA

GYMNASII PATRONOS FAUTORES DISCIPULORUMQUE PARENTES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

AUGUSTUS GEFFERS

GYMNASII DIRECTOR.

Insunt:

I. *De Oedipi Sophoclei Culpa Commentatio.*
II. *Annales Gymnasii.*

GOETTINGAE

TYPIS ERNESTI AUGUSTI HUTH.

MDCCCL.

II. Abth. Lateinisch — Candidat Gelpke.
Französisch — Derselbe.
Naturgeschichte — Dr. Muhlert.

Nachmittags 2—4 Uhr.

Sexta: Deutsche und lateinische Sprache — Candidat Runge.
Geographie — Derselbe.
Rechnen — Candidat Ruprecht.

Mittwoch den 27. März 9 Uhr.

Entlassung der Abiturienten.

Die Ferien dauern bis zu dem 14. April. Montag den 15. April beginnt der Unterricht wieder. Diejenigen, welche ihre Söhne oder Pflegbefohlenen in die Anstalt aufgenommen zu sehen wünschen, bitten wir, dieselben den 12. und 13. April Morgens von 9—12 Uhr anzumelden.

De Oedipi Sophoclei culpa.

Multi semper fuerunt, qui in Oedipo Rege [1]) Sophoclis tragoedia propterea graviter offenderent, quod in ea omnia dura fati vi regerentur, Atque gravem eam esse offensionem multoque molestiorem, quam omnia ea, quae in reliquis hujus poetae fabulis reprehendi potuerunt, facile intelligitur, Primum enim non in uno aliquo loco posita est, sed per totam fabulam manat, deinde non in externa aliqua re et adventicia cernitur, quae quo ingeniosius excogitata et artificiosius adornata est, eo majorem laudem habet, sed ita in medullis quasi haeret, ut, nisi tollatur, incisis totius actionis nervis omnia taedii plena esse videantur. Etenim quod natura et ratio tragoediae postulat, ut nemo tragicam illam fortunam experiatur, nisi qui vel pravo animi studio vel gravi errore inexpiabilem fraudem susceperit ab ipsius consilio aliquo profectam, id plane desiderabimus, si quidem recte existimant, Oedipum esse hominem probum, justum, nihil non praeclare molientem, vim fati iniquam, saevam, crudelem. Efficitur potius ita primum, ut quidquid ille committat mali, id ea vi cogente et protrudente faciat, nullo suo consilio, nullo animi mentisque motu relicto, tum vero, quamquam nihil patraverit, quod merito ipsi imputari possit, acerbissimas poenas luat tanquam aliquod fortunae ludibrium. Haec vero etsi ea habentur, ut si recte dicuntur, id ipsum, quo fundamenta quasi tragoediae continentur, convellatur et evertatur, sunt tamen, quibus ea in perfecto scilicet artis opere tolerabilia videantur. Profitentur autem, „Oedipi culpam omnem fere ad id redire, quod natus sit [2]), et

---

1) Oedipus Coloneus ejusdem poetae fabula ab hac quaestione secludenda videtur.

2) Jacob. Quaest. Sophocl. p. 325.

II. Abth. Lateinisch — Candidat Gelpke.
Französisch — Derselbe.
Naturgeschichte — Dr. Mu[illegible].

Nachmittags 2—4 Uhr.

Sexta: Deutsche und lateinische Sprache — Candidat Runge.
Geographie — Derselbe.
Rechnen — Candidat Ruprecht.

Mittwoch den 27. März 9 Uhr.

Entlassung der Abiturienten.

Die Ferien dauern bis zu dem 14. April. Montag den 15. April beginnt der Unterricht wieder. Diejenigen, welche ihre Söhne oder Pflegebefohlenen in die Anstalt aufgenommen zu sehen wünschen, bitten wir, dieselben den 12. und 13. April Morgens von 9—12 Uhr [illegible]

De Oedipi Sophoclei culpa.

Multi semper fuerunt, qui in Oedipo Rege [1]) Sophoclis tragoedia propterea graviter offenderent, quod in ea omnia dura fati vi regerentur. Atque gravem eam esse offensionem multoque molestiorem, quam omnia ea, quae in reliquis hujus poetae fabulis reprehendi potuerunt, facile intelligitur. Primum enim non in uno aliquo loco posita est, sed per totam fabulam manat, deinde non in externa aliqua re et adventicia cernitur, quae quo ingeniosius excogitata et artificiosius adornata est, eo majorem laudem habet, sed ita in medullis quasi haeret, ut, nisi tollatur, incisis totius actionis nervis omnia taedii plena esse videantur. Etenim quod natura et ratio tragoediae postulat, ut nemo tragicam illam fortunam experiatur, nisi qui vel pravo animi studio vel gravi errore inexpiabilem fraudem susceperit ab ipsius consilio aliquo profectam, id plane desiderabimus, si quidem recte existimant, Oedipum esse hominem probum, justum, nihil non praeclare molientem, vim fati iniquam, saevam, crudelem. Efficitur potius ita primum, ut quidquid ille committat mali, id ea vi cogente et protrudente faciat, nullo suo consilio, nullo animi mentisque motu relicto, tum vero, quamquam nihil patraverit, quod merito ipsi imputari possit, acerbissimas poenas luat tanquam aliquod fortunae ludibrium. Haec vero etsi ea habentur, ut si recte dicuntur, id ipsum, quo fundamenta quasi tragoediae continentur, convellatur et evertatur, sunt tamen, quibus ea in perfecto scilicet artis opere tolerabilia videantur. Profitentur autem, „Oedipi culpam omnem fere ad id redire, quod natus sit [2]), et

---

1) Oedipus Coloneus ejusdem poetae fabula ab hac quaestione secludenda videtur.

2) Jacob. Quaest. Sophocl. p. 325.

immani fortunae crudelitate, qua exerceatur, summam animi indignitatem excitari [1]). Quae quidem eo perducunt, ut „fatalem" hanc Sophoclis fabulam haberi credamus, sicut revera fatalis habetur [2]), hoc est ea, in qua fortuito rerum gravissimarum concursu ea constituatur insignis hominis fortuna, cujus exitus tragicus esse debeat. Hoc vero tragoediarum genus, ut a gravi nostrorum hominum errore profectum est, ita dudum, credo, explosum et relictum. Sed fortasse fieri non debet, ut hanc Sophoclis fabulam in numerum earum, quas hac aetate fatales appellaverunt, relatam esse credamus, quae proprium quid et praecipuum habere dicatur. Quod quale sit, quum accuratius expositum non sit, nos non quaeremus, paucis potius significabimus, quo modo fieri potuerit, ut omnino haec fabula fatalis appellaretur. Atque causa rei altius repetenda non erit, si quis ea, quae apud poetam sunt rei capita, meminerit. Sunt autem haec: Puer recens Thebis natus servo exponendus a matre traditur: misericordia hominis servatur et apud regem Corinthiorum educatur; primam aetatem feliciter degit, donec dubitatione de origine sua injecta Delphos consultum abit. Inde quum id responsum retulisset fore, ut patrem interficeret et matrem in matrimonium duceret, terrore rei perculsus terram Corinthiorum, ubi parentes esse putabat, fugiebat. Sed in eo ipso itinere in patrem incidit et imprudens interficit. Thebas deinde delatus, quum civitatem Sphingis crudelitate vexatam aenigmate illo soluto liberasset et erexisset, mercedis loco regnum et superioris regis uxorem accipit, liberosque ex ea tollit. Ita igitur oraculum exitum habuit ipso invito et inscio. Haec qui collegerit, facile iis, qui innocentem Oedipum summis malis exagitari dicunt, assentiendum esse putabit. Fortasse ipse adjunget, quae eam opinionem confirment. Quo in genere statim occurret illud, quod Cadmeorum gens a prima stirpe Erinnyn (*Δήμητρα Ἐρινύν*) infestam habuisse fertur atque iratam et Oedipus maxime ei irae obnoxius et quasi sacratus fuisse videtur [3]). Potest non minus huc revocari, quod apud Sophoclem est [4]), in ea domo, quae semel malis tentata sit, nunquam cessare Deorum vindictam. Potest etiam illud afferri, non stetisse fabulam, quum primum in scenam committeretur et haud dubie tum Sophoclem a Philocle victum esse propterea, quod rem detestabilem non ferrent Athenienses.

Sed quamvis speciose haec omnia dicantur, tamen redeundum est eo, unde profecti sumus, et si ea vere dicuntur, omnem tragoediae vim et dignitatem

1) Bernhardy, Grundriss der Gr. Litt. II. g. 806.
2) Bernhardy l. l.
3) O. Mueller Aesch. Eum. p. 168.
4) Antig. 582.

frangi ac tolli pronuntiandum. Nunc vero eam omnes esse consentiunt, quae, si ulla alia, incorruptos hominum animos vehementer commoveat et ita ut par sit afficiat. Non potest igitur ea, quam volunt, fati vis in ea esse, sed aliqua ipsius Oedipi culpa esse debet, qua ingentia ista facinora commissa et dura mala, quae postea sustinet, excitata dici possint. Atque eam culpam a libero animi motu et voluntate profectam Oedipo a poeta tribui existimamus [1]). Hoc quo modo dictum sit, iis, quae ipsa fabula continentur, demonstrandum erit, sed ut ordine postea procedere liceat, ea, quae ad rem declarandam facere videntur, praemittemus.

Atque primum quidem neque alienum a consilio nostro neque inutile erit Aristotelis praecepta, quae ad hanc rem pertineant, in memoriam revocare. Qui ubi, quid in componendis fabulis spectandum, quid cavendum sit, docet, id in primis postulat, ut ii, quos poetae suas in fabulis partes sustinere velint, ejusmodi sint, qui natura sua et moribus spectantium animos metu et misericordia commoveant. Negat autem id fieri, vel si probi homines temere subita rerum vicissitudine e secunda in adversam fortunam protrudi videantur; ea enim re nihil nisi stomachum et indignationem moveri; vel si improbi ex adversa in secundam fortunam traducantur; nihil enim a tragoedia esse alienius; vel denique si ii, qui maxime improbi sint, e secunda fortuna in adversam incidant; excitari, enim ita humanitatis sensum, misericordiam et metum non excitari; relinqui igitur eos solos, qui medii sint inter probos et improbos, qui neque virtute et justitia excellant, neque propter improbitatem et nequitiam sed propter peccatum aliquod duras fortunae vices experiantur, qualis sit Oedipus et Thyestes [1]). Primum autem ex his apparet, quales Aristoteles homines in tragoediis esse velit, talem ei visum fuisse Oedipum, hoc est, et dignitate insignem et culpae obnoxium. Quae culpa qua re contracta sit, nec Aristoteles indicat nec hoc loco quaerendum videtur. Deinde vero tenebimus haec dici non de Oedipo tragico, sed de eo, qui est in fabulis. Intelligitur id, si quis dubitet, inde, quod idem Aristoteles dicit, antea poetas omnes persecutos esse fabulas, tum vero in paucis

---

1) Qui de hac re scripserunt, citantur C. F. Hermann. Quaest. Oedip. p. 4.; qui quae dixerunt, equidem non examinabo: satis habebo meam proposuisse sententiam.

2) Arist. Poetic 25. Tyrwh.

iisque maxime idoneis gentibus, in quibus est Oedipi, constitisse. Is igitur quum jam Graecis visus sit mythus de Oedipo traditus, non tam hoc loco, qualis universus is fuerit, quaerendum erit, quam, qua ratione et arte Sophocles eo usus sit, postea explicandum. Nam quamquam alii aliter traduut, mutant variantque singula, in summa tamen rerum apud poetas nulla fere reperitur dissimilitudo, nisi quod tragici maxime suae haud dubie causae inservientes liberos ab Oedipo ex incesto matrimonio susceptos esse statuerunt eaque re ab Homero et antiquioribus epicis discesserunt. Neque vero is fuit Sophocles, qui in iis, quae memoriae erant prodita et religione quasi sacrata, multum novaret, sed tam admirabilis ingenii fuit vis, ut omnia, quae arte figurasset et animasset, quamquam tralaticiam antiquitatis speciem habere videbantur, tamen doctrinae et humanitatis, qua Periclis aetas excellebat, plenissima essent. Itaque quum culpa ea, de qua quaerimus in mytho de Oedipo tradito reperiri videatur, eam apud Sophoclem quoque esse putabimus.

Sed antequam, quae culpa sit et in qua re sita, explicabimus, ut postea ea, quae dicenda erunt, ad certam rationis normam dirigere liceat, de fato, quod durum et saevum in hac Sophoclis fabula esse volunt, paucis exponendum erit. Est quidem difficilis ea quaestio diligentiusque instituenda, si quis omnia, quae ad eam revocari vel possunt vel debent, persequi et complecti velit. Sed hoc loco Sophoclea in medium protulisse sufficiet, quae maxime ad eam rem, quam quaerimus, illustrandam faciant, non tam singulis locis, quibus ea continentur, allatis et excussis, quam ipsarum sententiarum natura et ratione indicata. Atque primum quidem apud Sophoclem non est fatum id, „quod physice dicitur, causa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et quae instant, fiant, et quae sequuntur, futura sint“; imo eas partes, quas Homerus et Diis et fato tribuit ita, ut illi saepe huic subjecti sint, Sophocles Diis ipsis assignat; non igitur recondita, obscura caecaque vis regnat, sed Dii omnia vident et regunt. Praeterea non ita fiunt omnia, ut inevitabili necessitatis vi efficiantur, sed a ratione et consilio proficiscuntur, ita ut non sit fortuitus rerum omnium cursus ac flumen quasi, sed regantur eae numine Deorum et contineantur. Et quod summum est, numen id justum et sanctum habetur, ab omni libidine, cupiditate, invidia, metu, alienum. Tanta enim est Deorum potentia et ita stabilitum imperium, ut in jure suo impediri non possint; tam affluens autem eorum vita omni genere felicitatis, ut nihil usquam sit, quod invidiam et cupiditatem excitet; ea denique prudentia et sapientia, quae quid temere et libidinose facere vetet et recte omnia et juste

perficiat. Ut vero omnia regunt Dii et res humanas curant, ita pie volunt et sancte coli: nemo eos impune negliget vel contemnet. Quod qui faciunt, quum insolentia et superbia se efferant et supra rerum humanarum modum se extendant, eorum iram in se convertunt, non ab invidia illa profectam, sed inde natam, quod leges mortalibus scriptae violantur. Nam natura in mentibus insculptum est, Deos esse et pie colendos esse; quae autem ita, ut hoc, hominibus insita et innata sunt, ea bona habenda sunt et religiose servanda, ne neglectis his divinis rerum humanarum ordo et ratio turbetur. Ita enim divina et humana inter se connexa et apta sunt, ut illis neglectis haec turbentur et confundantur et contemptum Deorum sequatur omne et facinorum et selerum genus. Nihil autem vehementius Dii aversantur, quam ferociam illam omnia temere turbantem cupideque pervertentem: modeste, prudenter et temperanter omnia fieri volunt. Itaque si quid a quo factum est superbius et insolentius, et violatae eae leges, quibus hominum salus continetur, graviter id ulciscuntur Dii et jure hoc fieri homines facile agnoscunt.

Sed ut haec apud poetam satis aperta sunt, ita aliud minus, quo jure fieri possit, apparet. Accidit enim id quoque, ut quis non illa superbia elatus, sed imprudens fere et invitus id mali vel dicat vel faciat, quod gravem Deorum iram et vindictam excitet. Quod quamvis durum videatur, tamen Dii nihil nisi suum munus sanctas illas leges tuendi exsequi putandi sunt. Qui enim ita severam delicti poenam subeunt, excusant quidem imprudentiam ideoque graviorem delicto poenam esse queruntur, sed accuratius rem inspicientibus eam ipsam imprudentiam crimini dandam esse apparet vel a socordià vel a temeritate profectam. Ut igitur id ipsum, quod commissum est, excusationem aliquam habeat, tamen ipsius naturae et animi habitus, quo, quae sint singula dicta et facta, efficitur, non is est, qui esse debet. Mente enim ii et ratione, qua nihil melius hominibus Dii dederunt, non recte sapienterque utuntur nec homines se esse facileque labi in quavis re et cadere recordantur. In his igitur, sive causa delicti a socordia, sive temeritate, sive confidentia repetenda est, maxime cernitur Deorum severitas, homines quales et sint et esse debeant quamque diligenter sanctae illae leges iis praescriptae servandae sint, graviter admonentium, injustitia, invidia, saevitia non cernitur.

Postremo vero, quo nihil vel ad intelligendum difficilius vel ad defendendam et purgandam Deorum justitiam inexplicabilius esse videtur, hoc est. In graves enim Dii homines errores ducere dicuntur et tamen punire. Sed non

uno eodemque semper modo id dicitur. Queruntur id plerumque ii ipsi, qui gravi aliqua re perpetrata tum demum, quem in locum deducti sint quidque aegritudinis et molestiae ferre cogantur, sentiunt. Qua in re id maxime agunt, ut id, quod commiserunt elevent et excusent, sive id, quod ad rem perpulit, in aliquo suae mentis motu esse situm conscii sunt, sive, id quod saepius accidit, quid sibi ipsis, quid incitamentis extrinsecus allatis tribuendum sit, revera non assequuntur. Sed quidquid id est, non eo ii procedunt, ut omnem facinoris culpam a se removeant, sed ut apud Homerum, qui Ἄτης fraude occaecata mente ad mala facienda inductos se jactant, culpa se vacare non audent dicere, ita hi rei commissae poenas merito sibi luendas esse confitentur. Ubi vero alii a Diis homines ad fraudem committendam duci dicunt, revera, unde repetenda causa facinoris sit et quo referenda, non intelligunt. Quamquam enim in universum, quanta esset generis humani imbecillitas et fragilitas, quanta labendi peccandique proclivitas, intellexerunt, tamen non id fuit ingenii acumen, ut et infirmitatem animi humani eam, quae est, et veram naturam ejus, quod nefas dicitur, perviderent, et, quanti esset, existimarent. Quare si quis graviter offendisset et tristi illa ac tragica fortuna conflictaretur, ita ut non magnopere appareret, qua fraude culpave id factum esset, nihil reliquum esse videbatur, nisi ut divinitus id accidisse dicerent. Poeta autem tantum abest, ut Deos auctores facinorum esse existimet et ludibrio habere homines, ut in horum animis semina quaedam malorum, a quibus tristis illa fortuna oriatur, latere significet. Sed quum ii in cognitione et contemplatione rerum divinarum et humanarum termini constituti essent, ut et lateret, qua maxime ratione singulorum hominum fortuna divinitus gubernaretur et unde ea, quae in natura hominum essent mala, gignerentur, corroborarentur in perniciemque ipsorum erumperent, nihil diligentius praecipiendum esse putat poeta, quam ut sanctas illas leges religiose servent et omnes contentiones consiliaque iis finibus, qui ipsis praescripti sint, sapienter contineant, si prospero vitae cursu uti velint. Quod ipsum quum sit arduum et periculosae aleae plenum, non raro molles illae voces audiuntur poetae non minus, quam reliqui poetarum praestantissimi faciunt, cum dolore quodum et remissa animi lenitate et patientia etiam fortunatissimas res mortalium incertas et caducas esse querentis et vel „non nasci“ longe praestare pronuntiantis.

Jam vero si quaeremus, quas partes fati, quod vocabulum re exposita tenebimus, in hac Sophoclis tragoedia poeta esse voluerit, eaedem fere, quae in

ceteris, esse videbuntur. Primum enim quod in sua quisque hominum tragicorum fortuna vitaeque conditione constituitur, fato tribuitur; tum vero, qua ratione sua quisque fortuna utatur, quo modo vivat resque gerat, non aliunde nisi ex ipsius voluntate consiliisque pendet. Non eadem vero omnium fortuna, non eadem vitae conditio est, sed ut aliis latus patet campus, in quo libere vagentur nec tamen facile offendant, ita alii in tam angustum conclusi sunt curriculum, ut nisi diligentissime caveant et attendant, statim de recta regione deflectant et in praeceps ruant. Haec cum multorum hominum tragicorum tum maxime Oedipi fortuna est; quae quo iniquior videtur, eo magis ea, quae illi committunt excusationem habent, et quidquid poenae ferendum est, misericordia dignum esse putatur. Accedit in Oedipo, quod iis parentibus natus est, ut indoles quaedam intemperantiae et confidentiae in animo ejus esse putari possit. Id quoque si ad illam fati vim, quae in eo cernitur, retuleris, ea, quae nefarie commisit, non eodem quidem omnia modo, poeta ad ipsius consilia revocasse videtur.

Hoc vero ipsum si quis argumentis e fabula petitis probare conatur, vehementer obloquuntur. Id agi ajunt, ut quae Oedipus commiserit, aperiantur et, qui ipse sit intelligatur; in quibus, dum agantur, si quid ipse ferociter, iracunde impie jactet, id esse ejusmodi, ut et possit et debeat excusari; summae esse iniquitatis, si quis postulet, ut ipse in tristissima fortunae commutatione gravem illam Stoicorum personam tueatur; minime vero omnium in his omnibus unum aliquid esse, quod causam facinorum multo ante commissorum in ipsum conferre culpamque derivare sinat. Recte haec disputata esse putamus, sed non ex omni parte. Verum quidem est, ea, quae in hac ipsa fabula dicat et agat, excusari nec haberi pro causa facinorum multo ante patratorum; sed hoc quaeritur, volueritne poeta ea, quam Oedipo tribuat, persona declarare ingenium hominis quale fuerit, ut haec vitia, quae nunc in eo deprehendimus, ejus propria et praecipua esse statuamus indeque tanquam e fonte suo manasse omnia peccata et profluxisse ingentia illa mala intelligamus. Hoc et admirabilis fabulae compositio et artificiosa singularum partium exornatio ita monstrat, ut poeta hoc maxime et contendisse et effecisse putandus sit, id quod nunc iis, quae ab eo scripta ad hanc rem pertinent, persequendis explicabimus.

Ac primum quidem perlustrabimus prologum. In eo vero poetam id maxime egisse dicas, ut omnes Oedipum omnibus laudibus ornandum esse putarent facileque animos adjungerent. Eos enim, qui ad auxilium ejus in gravi illa pestilentia,

qua conflictabatur civitas, implorandum missi ad aras ante regiam positas consederant, ita accipit, ut natura eum benevolentissimum esse et bene reipublicae consultum velle appareat. Ipse quum eos videt, officiose procedit, quid expetant, sciscitatur, et misericordia commotus, quidquid velint, a se impetraturos esse benigne promittit. Atque quum ad levandam vim morbi se excitari audivit, non tum demum ejus animum ad eam rem converti intelligitur; multo majore in moerore, quam ii qui supplicant, ipse est, multa ad quaerendum remedium animo agitavit, postremo Delphos misit consultum, ut, quid ad civitatem servandam faciendum esset, audiret. Praeterea vero quae Jovis sacerdos, dux supplicantium dicit, summas ei laudes et honores tribui facile ostendunt. Haec omnia, quae speciosam et splendidam hominis exhibent imaginem optimeque de eo existimare cogunt, eo consilio a poeta ita adornata esse dicimus, ut postea inclinante se fortuna eo gravior consequatur misericordia.

Eadem vero etiam aliud in recessu habent, quod fronte non aperiunt, quod pungat animos spectantium nec securos esse sinat. Mirum enim hoc ipsum quam maxime videtur, quod causam supplicandi sciscitatur Oedipus ex aedibus progressus. Etiamsi enim hoc eo pertinere dicas, ut Oedipus eo ipso temporis momento, quo ad levandas civium miserias progrediatur, ad acerbissimam suae fortunae conversionem gradum faciat, idonea tamen causa esse debuit, cur poeta ita id factum vellet. Occurrebat enim hoc statim omnibus: quid est, quod grassante sine levamento vi morbi rex, quid sacra per urbem facta, quid obstrepentes lamentationes, quid supplicatio velit, quaerendum putat? Non potuit vel potius non debuit scire ipse? Imo non debuit ipse curare et decernere, ut pestilentiae averruncandae causa ad omnia Deorum templa supplicationes, piacularia sacrificia, ea denique, quae ejusmodi temporibus celebrantur, sollemnia fierent? Et voluisse videtur poeta eum ipsum tale quid sentire; nam quod dicentem facit, (v. 7.) se esse eum, qui inclutus appelletur ab omnibus Oedipus, non inanis est jactantiae nec magnopere prologi ratione postulatur, sed eo spectat, ut eum se processisse fateatur, a quo in iis, quae videantur, rerum angustiis auxilium exspectetur. Eam exspectationem re vera fuisse apparet inspectis accuratius iis, quae dux supplicantium exponit. Qui quod primum aras Deorum adiri, omnia vi morbi repleri et absumi narrat, regem et, quid fiat, nescire et, de avertendo malo cum iis, quibuscum par erat, neque sermonem neque consilia contulisse, ostendit. Deinde hoc multis modis versat, videri regem eum, qui praesentia mala levare possit; tum vero precibus eum urget et, quae eum ad erigendam afflictam

civitatem excitare possint, colligit permulta. Facit quidem magnitudo eorum, quibus premebantur, malorum, ut sacerdos in his explicandis haereat et commoretur diutius; sed si quaerimus, cur novis semper verbis eandem rem variet, gravioribusque ad laudem non minus quam utilitatem ipsius Oedipi accommodatis argumentis firmet, non ab ea una causa singularis prorsus loquentis et precantis contentio proficisci videtur. Infertur [1]) potius ita suspicio quaedam Thebanorum, posse Oedipum afferre malorum remedium credentium, velle afferre diffidentium. Et tamen falsa erat ea suspicio. Multum enim rem secum volutaverat, multas expediendae salutis vias inierat, sed quamquam nullis suis artibus ex angustiis emergi animo discruciabatur, nihil prorsus ipse efficere potuerat. Quare quum opinioni civium de se susceptae et voluntati satisfacere se non posse sentiret, domi se continuit, nec quidquam omnino in medium protulit. Hoc ipsum quam grave atque acerbum ei fuerit inde apparet, (v. 74.) quod cupidissime exspectat oraculi responsum, quo allato desideratam diu afflictis opem ferri posse credit. Praeclare haec ad negligentiam Oedipi, quae in summis civitatis malis esse videbatur, removendam comparata: ita demum exspectationem eam, quam usque ad id tempus decepisse putabatur, recte digneque tuetur.

Sed cur poeta ita, ut facit, rem instituit eumque, qui bene reipublicae consultum cuperet, nihil eorum, quae in ejusmodi temporibus regis maxime consilio et auctoritate fieri solent, facere voluit? Primum, credo, propterea, quod quo longius tota Oedipi ratio a ceterorum hominum consuetudine recedebat, eo propius ad naturam consiliumque tragoediae accedebat; (qua in re ornanda quantum cernatur artis, non licet hoc loco exponere); deinde vero, id quod ad nostram rem gravissimum est, statim ab initio, qualis natura animusque Oedipi esset, declarare voluit. Qua in re duo satis indicavit, *primum optima quaeque eum sequi et ad communem civium salutem referre; tum vero velle eum esse totum suum, unis suis in omnibus rebus parentem consiliis, suis omnia agentem viribus, eam, quae ad res bene gerendas proxima habetur via, negligentem, hoc est, consilia cum aliis, ubi usui sit et expediat, non communicantem.* Quibus rebus quid efficiatur nunc non dicimus, satis habemus, si Oedipum Sophocleum eum esse constet, qui omnia sua ex se apta esse velit nec ulla in re aliunde pendere.

Pergimus nunc ad reliqua, ut quae in iis ad eam rem, quam quaerimus, utilia deprehendantur, videamus. Quod, quum ipse nihil remedii inveniret Oedi-

---

1) v. 48. *προθυμίας* retinendum, non *προμηθίας* cum Wundero inferendum.

pus, Creontem potissimum Delphos misit, optimo consilio fecisse putandus est. Nullum enim, cui tantam rem committeret, invenit hominem certiorem. Et tamen de industria hic prae ceteris ad eam rem delectus esse videtur, ut in eo maxime Oedipus, qui esset, ostenderet. Supplicantium vero animi egregie iis confirmantur, quae reverso Creonte et quaerentem et profitentem audiunt. Nihil enim, quo id, quod oraculo editum est, perficiat, praetermittere videtur. Sed in eo ipso primum accidit, ut *justa inquirendi prudentia et diligentia desideretur.* Ubi enim ad sedandam pestilentiam exitiale scelus, Laio superiore rege interfecto commissum, expiandum esse audivit, non id quod exspectes facit, ut accuratius de homine ipso quaerat, sed potius ea, quae Creon de eo dicturus est, praecidit. Atque, quod majus est, quamquam nihil exoptatius habebat, quam ut unum aliquod vestigium reperiret, quo auctores facinoris indagare posset, tamen, quum unum servum e caede elapsum de re retulisse et referre posse comperit, ne ab hoc quidem homine amplius exquirendum putat, sed eo, quo non putes delabi virum prudentem, delabitur et non aliunde interfectores quam clandestinis Thebanorum hominum insidiis subornatos esse pronuntiat. Postulari haec ita et necessario requiri ipsius tragoediae consilio ac ratione facile concedimus, contra vero de prudentiae et sapientiae laude ejus, cui talia a poeta tribuuntur, permultum detrahi neminem fugiet. Jure igitur dicere licet poetam hoc loco id egisse, ut Oedipi prudentiam inter omnes celebratissimam eam esse appareret, *quae id, quod maxime propositum ante oculos esset, leviter transiret et ad remotiora et longinqua intempestive festinaret.* Hac maxime re fieri videmus, ut ipse ad cognoscenda sua facinora deducatur. Deinde vero, postquam satis, quae ad caedis auctores ducerent, audivisse sibi visus est, operam pollicetur, ita ut et civitati et Deo Delphico satisfaciat. Quo loco maxime miramur causam, qua se moveri dicit: non disjunctis stirpe amicis, sed sibi ipsi eam operam utilitati fore: easdem enim insidias, quae superiori regi factae sint, sibi, nisi caveatur, timendas esse. Haec omnia, quemadmodum sunt dicta ab eo, qui non intelligat dicta, ingentisque cujusdam horroris plena, ita, qui *metus et quae suspicio in animi recessu lateat,* produnt. Oritur igitur jam *suarum rerum cura,* quum paullo ante (v. 94.) plus se civium quam sua causa angi professus esset, et sensim ita crescit, ut cogitationes et studia minus certe ad civitatis salutem referantur. Itaque ut, quod antea vidimus, a suis sua consiliis proficisci vult omnia, *ita hic jam omnia consilia et facta ad suas rationes revocare eum intelligimus.* Ne ipse vita et regno privetur metuit, qui metus, quo deducturus sit, mox apparebit.

Atque principes civitatis, qui chori partes sustinentes Deos ad avertenda mala invocant, ipse confirmat (v. 214 seqq.), facile futurum, quod precibus expetant, si justam operam suis consiliis adjungere velint. Quod vero eam operam propterea deposcendam esse putat, quod ignarus sit rei jure exsequendae, confidentiae illi et nimiae de prudentia sua opinioni tribuemus [1]). Deinde ubi omnibus, ut auctores facinoris indicent, edicit et mandat, satis leniter agit; vehementius vero commovetur, quum iis, qui imperata non faciant, poenas denuntiat. Quos quod ab omni divini et humani juris commercio excludit, consuetudine quidem et rite facit, et quod sibi ipsi, si conscius et affinis facinori sit, idem imprecatur, gravissime et acerbissime piacula se exacturum esse probat. Sed etiam hoc loco, ut imprudentem et inscium eum dira jactare mittamus, cupidius et iracundius, quod ipse sibi proposuit, perferre conatur. Non satis habet ea, quae Deus jussit peragere, sed toti Cadmeorum genti ultorem se fore profitetur saepiusque ita sibi ipsi consulendum esse inaudimus. Tanquam non violata Deorum hominumque jura exsequenda sint, sed suus dolor in iis, qui edictis non pareant, vindicandus sit, ita minatur, ita furialia detestandae stirpi reluctantium composita expromit. Eo pertinent repetitae exsecrationes (v. 246. 269.) et maxime illa orationis contentio sibi interfecti regis successori auctores caedis etiam sua causa ulciscendos esse clamantis (v. 237. 253. 258 seqq.) Impotentius eum et intemperantius egisse chorus sentit, sed modeste tantum cauteque monet (vt 274 seq.), Apollinis fuisse, qui essent noxii, indicare. Consentit ipse, ita vero, ut, quo ad aperiendam ejus naturam nihil argutius et significantius cogitari potest, cum aliquo animi dolore non posse cogi Deos, quod nolint, facere queratur.

Sed jam pervenimus ad eum locum (v. 300—462.), ubi gliscens adhuc animi fervor et tenebris tecta iracundia erumpat. Quum enim statim auctores facinoris patefaciendi edictis et minis non magnopere moveri intellexisset (296.), Creontis suasu Tiresiam ad partes vocare statuerat prius quam chorus ejus unius consilio et opera deprehendi rem posse ostenderet. Accedit jam Tiresias; Oedipus bonae

---

1) Cernitur ea opinio toto hoc loco, maxime his *οὐ γὰρ ἂν μακρὰν ἴχνευον αὐτὸς, μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον:* quae explicanda videntur: non longe procederem ad investigandum, i. e. facile reperirem ipse, nisi quodam modo peregrinus essem. Dicitur *σύμβολον ἔχειν* ut *σφραγῖδ᾽ ἔχεις* Arist. Av. 1213. Praeterea suspicari licet, respici cum acerba quadam ambiguitate illud *σύμβολον* Oedipi proprium v. 1033.

spei plenus honorificentissime eum et observantissime salutat, rerum omnium scientiam, qua jam una reipublicae salus contineatur, in eo esse praedicat, oraculum Delphis allatum paucis exponit, denique ut salvam arte sua vates praestet civitatem suppliciter orat. Sed non satisfacit precibus Tiresias; primo levius et tectius significat, postea vero fatigatus verbis apertius et gravius indicat, propterea, quod non expediat Oedipo resciscere, quod scire cupiat, se nihil in lucem prolaturum. Tum vero Oedipus, quod sit vatis consilium non perspiciens, sed statim proditionem patriae eum moliri suspicans, ita ira exardescit, ut, quem paullo ante justis laudibus ornavit, ei convicia ingerat minasque intendat. Sed quasi justo celerius iracundia ablatum se esse sentiat, vehementer irritatum animum esse excusat [1]). Ad ea Tiresias, quod vere poterat, non extrinsecus allatum illum fervorem respondet, sed in ipsius animo esse situm et infixum. Ceterum tantum abest, ut, quo tendat Tiresiae oratio, intelligat animique ardorem invita ratione excitatum defervescere velit, ut per iram, quod profiteri non pudet, conscium eum et affinem caedi Laii esse criminetur. Quod quo jure faciat primo ita non intelligitur, ut invitum eum et imprudentem animi conscientia suspiciosum et timidum facere videatur; postea id saltem eum suspicari apparet, Creontis artibus et insidiis factum esse, ut vates primum quid sentiret expromere recusaret, deinde vero in ipsum culpam facinoris conferret. Et habere sibi videbatur, unde id colligeret. Creon enim responsum Apollinis Delphis retulerat et adulterare potuerat (v. 603.), idem ipsi, ut Tiresiam consuleret, suaserat (v. 555 cf. 288.). Ut vero ipsi nihil imperio, scilicet ingenii acumine parto, fuit carius, ita Creontem imperium sibi ereptum affectare ad eamque rem opera vatis uti putat.

Itaque caecitatem Tiresiae exprobrat, in quaestu ac lucro eum videre, in caeteris omnibus caecutire (v. 391 sqq.) criminatur, in sua contra sapientia soluto Sphingis aenigmate probata gloriatur.

In his omnibus praeter insignem illam animi impotentiam, iracundiam, arrogantiam, superbiam, incredibilem quendum divini vatis contemptum cerni non jam mirabimur. Neque enim tum solum intemperantius in Tiresiam invectus est, sed nunquam multum ei tribuisse, vel ut rectius dicamus, nunquam ante eum con-

---

1) v. 337: *ὀργὴν ἐμέμψω τὴν ἐμὴν* acerbe dicta a Tiresia: *mei animi naturam*, quae te ad iram excitet, vituperas; nam iram Oedipus non exprobaverat: tum quae sequuntur: *τὴν σὴν δ' ὁμοῦ ναίουσαν οὐ κατεῖδες* de iracundia in ipsius animo habitante, non de Jocasta, quod G. Hermannus voluit cum Eustath. ad Il. • p. 755 sqq., intelligenda. Nam id agitur, ut vates eum in suum ipsius animum introspicere jubeat.

suluisse videtur. Hoc inde existimari potest, quod eum tum grassante pestilentia non ante jam consuluit, quam Delphos consultum misit, quod non suo, sed Creontis, consilio arcessivit, id quod minime ita una tragoediae compositione factum est, quod ipse ita de eo loquitur, ut ejus scientiam usu cognitam habere non possit (v. 433.), denique quod ita demum causam esse intelligitur, cur vatem regnum a se ad Creontem translaturum esse suspicetur (v. 400.). Nam si apud ipsum eadem fuisset auctoritate, qua apud Creontem futurus esse putabatur, quid tandem impelleret ad eas insidias, quas moliri arguitur? Omnino vero nihil causae videbatur esse Oedipo, quare consuleret. Nam cui ipse ingenii acumine praestitisset, quid eum in consilium adhiberet? Hoc vere existimari ex iis quoque intelligitur, quae e Creonte quaerit et audit (v. 555 seqq.). Atque hic vatis contemptus omnino Deorum cultum eum neglexisse et contempsisse ostendit. Postea enim primum impia illa Jocastae dicta, quae castigat statim chorus cantico pietatis plenissimo, ipse probat (v. 857. [1]); tum responsa Apollinis nihili aestimanda esse jactat (v. 964.); denique quod Creon eum, quum jam, quibus in malis versaretur, intellexisset, nihil sine Deorum numine faciendum esse monet et iis obtemperare jubet, ad eandem rem probandam pertinet [2]). Ceterum ad reliqua animi vitia, quae jam notavimus, tam prope accedit Deorum contemptus, ut si nihil de eo dictum esset, facile eum in animo ejus latuisse crederes. Quod tum vero, quum ex angustiis se expedire non posse videtur, ad Deos et vates confugit, quam maxime parcum Deorum cultorem eum esse et religionum negligentem demonstrat.

Sed ut supra jam vidimus Oedipum ea, quae maxime ante oculos proposita essent, non videre et ad remotiora semper festinare, ita hoc loco plane eum in sole caligare offusisque menti tenebris in iis, quae ad ipsum pertinent, nihil intelligere apparet. Tiresias enim culpam caedis expiandae in se collatam ita in illum rejicit, ut eum ipsum Laii percussorem esse, suo edicto exsecrationibusque.

---

1) cf. v. 977: *Ιοκ. τί δ' ἂν φοβοῖτ' ἄνθρωπος, ᾧ τὰ τῆς τύχης*
κρατεῖ, πρόνοια δ' ἐστὶν οὐδενὸς σαφής;
εἰκῇ κράτιστον ζῆν ὅπως δύναιτό τις.
— — — — ἀλλὰ ταῦθ' ὅτῳ
παρ' οὐδέν ἐστι, ῥᾷστα τὸν βίον φέρει
Ad ea Oedipus: *καλῶς ἅπαντα ταῦτ' ἂν ἐξείρητό σοι,*
εἰ μή 'κύρει ζῶσ' ἡ τεκοῦσα.
Non sunt autem haec commoti animi, sed tranquille deliberantis eoque magis quae sit ejus natura monstrare possunt.

2) v. 1445: *καὶ γὰρ σὺ νῦν γ' ἂν τῷ θεῷ πίστιν φέροις.*

teneri, cum matre denique incestis nuptiis conjunctum esse dictitet. Quae omnia quum fraudis et insidiarum esse clamet, idem mox eum, quod tum, quam facinorum culpam ferat, non videat, luminibus amissis e patria ejectum peregre vagaturum esse ostendit diris patris et matris precibus agitatum; postremo eadem accuratius exponit, ut nihil Oedipus audiat, nisi omnia oraculo illo olim edita ab ipso ad exitum esse perducta. Haec quum legimus, haud dubie quaerendum esse putamus, quid maxime fuerit, qnod poeta in his exponendis tantum studii poneret, ut vatem ter eadem explicare vellet, primo levius rem significantem, deinde clarius illustrantem, postremo vetus illud oraculum ipsi consulenti editum in memoriam redigentem. Nimirum quum ne ita quidem sentiret Oedipus, quis esset, quidque fecisset, apparere putabat, eum aliena et remotiora curare et cognoscere, sua et proxima negligere et quae animi esset levitas et securitas ignorare. Atque nihil plane commovetur iis, quae exprobrat Tiresias, nihili facit, quod ipse suorum malorum dicitur esse auctor (v. 379.) et in alios transferre culpam (v. 338.). Ne tum quidem satis attendit et prudentiae suae laudem imminui videt, quum forte fortuna factum esse dicit vates, ut aenigma Sphingis solveret; imo quidquam sua referre negat, utrum ea fortuna ad interitum ducatur; servata enim civitate sempiternam se peperisse gloriam (v. 441.). In his tamen omnibus hoc insigne est, quod illata parentum mentione graviter pungatur animus, ut, qui ii sint, cupide quaerat et, quod nihil certi respondeatur., id ipsum queratur. Illatum id hoc loco ita est, ut quod eum olim Corintho proficisci et Deum Delphicum adire coegerit, id etiam tunc in animo infixum haerere, sed temporis diuturnitate obscuratum et obrutum esse intelligamus. In eo ipso vero cernitur illa animi levitas et securitas, quae nulla re nisi incitamentis extrinsecus allatis cum terrore quodam commoveri potuit. Confitendum tamen est, perculsum eum esse suscitata illius oraculi memoria et jam placatius ferre Tiresiae dicta. Ita certe tacitus ab eo discedit, ut eum omnes cogitationes in recolendis vitae ante actae rebus positurum esse credas.

Neque vero is fuit, qui in suis rebus diu haereret cogitabundus facileque resipisceret. Qua re mox redit in scenam, iramque in Creontem evomit, qui ad diluenda et purganda crimina ante in se collata processit. Eum enim quum regnum affectare pro certe habeat, hoc maxime indignatur, quod se tam vel ignavum vel stultum esse putet (v. 536.), ut consilium facile ad exitum perducere possit. Ita nisi de se existimaret, nihil scilicet ejusmodi eum ausurum. Haec vero, quam suspicatur, ignaviae vel stultitiae opinio homini sagacitatem suam et

sapientiam admiranti ita stomachum movet, ut illum causam suam dicere vetet et, quid ipsi de illo fieri placeat, ferociter plane pro imperio decernere velit [1]). Pervincit tamen Creon, ut causam defendere liceat, et crimina, quibus satis speciose circumveniri videbatur, inania esse docet (v. 583 seqq.). Sed non vult edoceri melius Oedipus [2]). Quare, quamquam prudenter principes civitatis dehortantur (v. 616.), stat tamen sententia vindicare supplicio, quam concepit, suspicionem et metum: incolumi enim Creonte se stare posse desperat (v. 658.). Qui quum regiam sententiam temere pronuntiatam esse queratur nec patienter et humiliter ferre velit, ita ad exsecrabilem iram et furorem efferatur, ut jam nihil supra esse possit [3]).

Eo autem quum deducta res sit, ut animi ferocia et iracundia non jam possit intendi magis et augeri, unde profecti simus respiciamus quoque pervenerimus videamus. Hoc igitur propositum Oedipo fuerat, ut Laii percussores reperiret repertosque vel summo supplicio afficeret vel e patria ejiceret atque ita afflictam pestilentia civitatem erigeret. Ad eam rem omnes cogitationes, consilia, studia contulerat et contulisse videri volebat. Sed quid peragitur? Nimirum ea ipsa res, quae quaeritur, e conspectu aufertur, simul ac Tiresias in conspectum venit, eoque longius recedit, quo apertius is id, quód Oedipus postulet, in medium prolaturum se esse negat. Verum est, arcessivit Oedipus vatem reipublicae causa et reipublicae nomine eum salutare consilium afferre justamque patriae communi omnium parenti gratiam referre jubet (v. 303. 322.). Sed ubi Tiresias, ita ut supra vidimus, quod jubetur proloqui recusat, Oedipus statim ad iram abripitur, et acerbis eum criminosisque verbis insectatur. Oritur altercatio, regerit Tiresias ea, quibus ab Oedipi facinore civitatis mala profecta esse apparet, et id omnino suo eoque divino jure usus agit, ut id intelligat Oedipus et liberetur clade civitas. Oedipus contra communis civium calamitatis prorsus oblitus totus in sua re

---

1) *Οἰδ.* v. 548: *τοῦτ' αὐτὸ μή μοι φράζ' ὅπως οὐκ εἶ κακός*
Κρ. — — *εἴ τοι νομίζεις κτῆμα τὴν αὐθαδίαν*
εἶναί τι τοῦ νοῦ χωρίς, οὐκ ὀρθῶς φρονεῖς
Ut supra Tiresias *τὴν ὁμοῦ ναίουσαν ὀργὴν*, ita h. l. Creon jure *αὐθαδίαν* exprobrat.

2) *Οἰδ. λέγειν σὺ δεινὸς, μανθάνειν δ' ἐγὼ κακός.*

3) v. 628: *Κρ. εἰ δὲ ξυνίης μηδὲν; Οἰδ. ἀρκτέον γ' ὅμως* h. e. mihi imperandum vel sic est, meum est imperare tibi et omnibus civibus, vobis omnibus parendum, dicto mihi audientes esse debetis. Quod sequitur *οὔτοι κακῶς γ' ἄρχοντος* sc. *ἐστὶν ἄρχειν*: hoc facile intelligitur, quum antegressum *ἀρκτέον* tantidem sit quanti *ἐμὲ δεῖ ἄρχειν*. Ita nihil obscuritatis et offensionis in his verbis.

occupatus est idque unum et cogitat et contendit, ut injuriam et ignominiam, quam illatam sibi arbitratur, graviter ulciscatur. Ne chori quidem oratio modeste aberrantem in viam revocantis et non id tempus esse monentis, quo suas quisque rixas per iram transigat, sed omnes, quod Deus jubeat, ad levandam civitatis miseriam diligenter faciant, quidquam eum movet (v. 404.). Persistit in sua causa persequenda. Apparet id magis etiam et clarius, quum ferocius corripit et exagitat Creontem. Quem quum sibi persuaserit imperii esse aemulum, non facile dimittit; quam contentionem ut in communi patriae calamitate gravem et detestabilem Jocasta ex aedibus progressa acerbis verbis castigat [1]). Quid vero ex his efficitur? Hoc credo, providere et consulere saluti civium Oedipum Sophocleum, ita tamen, ut eam curam suae vel irae vel cupiditati dare animi impotentia facile cogi se sinat, dolorem vero suum nullis nec rationibus nec precibus condonet. Neque mirabitur hoc, qui, quae antea jam de propria hominis natura et ingenio ex hac fabula prolata sunt, meminerit.

In. reliquis fabulae partibus haec maxime insignia habentur. Primum qui antea explicato a Tiresia priore illo Dei Delphici responso culpa se teneri non sensisset, is vinctorum expositi pueri pedum (v. 717.) et „trifidae Phocidis“ (v. 733. 716.) mentione injecta vehementer exterretur nec, quamquam omnia ad eum placandum et consolandum Jocasta effundit, sollicitudinem animi et angorem reprimere potest (v. 726. 738. 747.).

Externa igitur illa, loci et temporis, quo Laii caedes facta est, descriptio et ratio, ipsius hominis statura et figura ante oculos proposita admonent, formidinemque incutiunt, vatis verba opertum diu tenebris facinus aperientis et prudentis hominis oratio omnes inanis suspicionis nebulas dispellentis non adducunt, ut cogitationem de se ipso suscipiat in eaque mentem defigat. Atque quia nihil nisi externa illa circumspicit, qnibus ad declinandum ejus sceleris crimen, quod ultum it, utatur suarumque rerum memoriam, quantum potest, fugit, sequuntur reliqua, quae singularia et admirabilia prorsus videntur. Ita fit, ut in incredibili illa investigandi sagacitate mentis acies mirifice hebescat et in tenebris erret prudentiae opinio (v. 836. 846. 964.). Ita quia, quale id futurum sit, nescit, quo rem illustratum iri sperat, accidit ut magno metu atque terrore exagitetur

---

1) Iok. v. 634: *Τί τὴν ἄβουλον, ὦ ταλαίπωροι, στάσιν
γλώσσης ἐπήρασθ᾽ οὐδ᾽ ἐπαισχύνεσθε γῆς
οὕτω νοσούσης, ἴδια κινοῦντες κακά;*

(v. 914 seqq.). Sed quid est, quod metuit et horret? Non metuit ita, ut ejus facinoris, quod perpetravit, poeniteat (v. 814 seqq.) sed primum, ne culpa caedis Laii in se derivata imperium amittat et de eo dignitatis gradu, quem sapientia sua consequutus esse videtur, dejiciatur (cf v. 658. 668 seqq.), deinde vero, ne aliquando Polybum patrem scilicet interficiat, Meropamque matrem sibi jungat, quod periculum sibi imminere suspicatur, si ipse iis, quae imprecatus sit Laii interfectoribus, teneatur et e civitate expellatur. Parricidium igitur se commisisse ne suspicatur quidem, ne postea e terra ejectus committat, id metuit.

Atque ita hoc loco mirum quoddam insipientis sapientiae et incredibilis inconstantiae signum deprehendimus. Quamquam enim non tum tantum, quum oraculum de origine consultum adierat, Polybo et Meropa natum se esse crediderat (v. 790 seqq.), sed etiam hic eos parentes suos esse ita profitetur, ut plane non dubitet (v. 825.), tamen, sicubi ab aliis parentum mentio infertur (v. 435.), facere non potest, quin, qui sint, cupidius quaerat nec ullis Jocastae, quis is sit, jam intelligentis precibus ab ea investigatione se avocari patitur (v. 1060.). Imo quum eam nolle suspicetur amplius quaeri propterea, quod fortasse humilitas quaedam generis deprehendatur, eo majorem in ea re diligentiam adhibendam putat, nihil gloriosius sibi fore opinans, quam si fortunae filius, quem se habet, ad regiam dignitatem evectus esse reperiatur. Quibus ut praefracta illa cernitur animi pertinacia nihil, quod propositum vel oblatum est, inchoatum relinquentis, ita nihil verius acutiusque quam ipse de se dicit, dici potest. Est sane fortunae filius, non ejus quidem, cujus ipse sentit ac praedicat, sed ejus, cujus temeritatem et inconstantiam propriam esse dicimus. Primum enim, quantum apud Sophoclem exstet, ad consilii capiendi deliberationem non suae mentis et rationis motu ipse se excitat, sed rebus extrinsecus allatis excitari se patitur, deinde non circumspectis diligenter rerum momentis cauteque pensitatis quid facere praestet, constituit, sed quidquid ipsi maxime placet ac libet, id confidenter arripit pertinaciterque sequitur, denique omnis rerum actio, si eventis ponderatur, non consilii, sed fortunae esse videtur. Hinc illud intelligitur quare, quum plurimum videre ac sapere sibi videtur, tum maxime praestrictam et hebetatam habeat ingenii aciem atque ibi quoque bonam de se spem alat, ubi omnia jam desperata sunt ac perdita.

At haec, quae postrema commemoravimus, non minus, quam cetera, quae de animo et moribus Oedipi exposuimus, ad unam illam tragoediae oeconomiam pertinere dictitant. Qua de re quamquam saepius jam, quid sentiendum

3

videretur, significavimus, haec tamen addenda sunt. Atque ut ingenue fateamur, plane contra, quam in hac quidem Sophoclis fabula fieri solet, existimandum erit. Etenim si illa oeconomia, quae quidem probari et laudari possit, cernitur in justo rerum ordine, hoc est, in recta, legitima artificiosaque dispositione et compositione ad singula, quae sunt in re, plene ac graviter expromenda et explicanda accommodata, quo modo id, quod in re ipsa non sit, in eum ordinem inferri et redigi possit, vix intelligitur. Est quidem in hac re ingenio ac sollertiae suus concessus locus licetque poetae intexere, quibus ad exspectationem et ad admirationem erigantur animi et graviter crmmoveantur, sed ea non licet inferre et ornatus causa aspergere, quibus summa rei adulteretur et deformetur. Summam autem rei, in qua tanquam cardo tragoediae vertatur, in natura et animis hominum tragicorum sitam esse dicimus. Quibus qui tribuuntur mores, ii proprii ac perpetui esse debent, conservandi sunt per totam fabulam nec aliter prorsus mutandi, quam ipsorum natura et ratio vel admittit vel postulat. Itaque oeconomia tragoediae nihil nisi actionem rerum ab natura et consiliis hominum tragicorum proficiscentem complectitur et moderatur, non ad arbitrium poetae hominibus tragicis haec vel illa actio rerum tribuitur, ut artificiosa et gravis existat tragoediae oeconomia. Hoc facile apparebit, si quis unius Sophoclis fabulas inter se comparaverit. Ubi personae primariae natura est simplex et constans, ibi simplex et expedita est fabulae oeconomia; ubi contra animus est altus, reconditus, varius, ad tempus se versans, ibi multiplex et implicata est eadem. Illud maxime cadit in Philoctetam, hoc in Oedipum. Huic igitur non eo consilio illa, quae diximus, animi vitia tribuisse poetam judicabimus, ut tenui filo argumenti perpetuitatem ad finem deduceret, sed ut, quemadmodum supra significavimus, in iis vitiis culpam ejus latere declararet.

Jam vero id, quod dicimus, in describendis Oedipi moribus personaque repraesentanda propositum sibi fuisse poeta ipse indicasse videtur. Atque reliquum est, ut hoc paucis explicemus et, quo modo illa facinora ab ipsius hominis consiliis et voluntate profecta sint, videamus.

Ut igitur in Ajace (v. 748 sqq.) nuntii verbis, qua commissa culpa excitata sit Minervae ira discimus, ita in media hac fabula Oedipus calida sua consilia, in quibus omnium facinorum et malorum causa est, ingenue ac libere aperit. Ad detegenda quidem facinora totum hunc locum (v. 700—863.) pertinere facile

damus; iis enim, quae Jocasta de oraculo olim edito, de filio exposito, de Laii caede narrat, ea, quae Tiresias antea exposuerat, illustrantur et confirmantur; quae de se expromit Oedipus, omnem rei, quae quaeritur, dubitationem expellunt. At vero, quemadmodum Jocasta ita producitur, ut propria ejus animi levitas, improbitas, impietas notetur, ita Oedipus totum se aperit ipse. Ea vero, quae antea in eo deprehendimus, hoc quoque loco patescunt.

Atque primum quidem id maxime mirum videtur, quod nihil unquam de vita ante acta cum Jocasta communicavit et tunc quoque invitus taciturnitatem rumpit. Tum demum, quum eo deducta res est, ut ipsius quam maxime cognoscere intersit, occisusne a se sit Laius, sollicito animo et inter spem metumque suspenso, tanquam, qui rei exitus futurus sit, nihil pensi habens, a se impetrat, ut ea, quae celaverat et texerat, non aliis quidem, sed certe Jocastae (v. 772. 800.) roganti exponat. His, ut dicta sunt [1]), conscientiam quandam culpae taciturnitate diu tectae prodi facile credas. Confirmetur ea suspicio iis, quibus poenitere se eorum, quae fecerit, leviter significat, quum satis mirabilem quidem fuisse dicat casum, qui Corintho abire coegerit, non dignum tamen, cujus causa tantum, quantum fecerit, studii sumeret. Atque si usquam hoc loco aliqua culpae conscientia commovetur, sed subito tantum ea velut ex animi tenebris emicat statimque evanescit. Exprimitur enim animi sollicitudine et angore ea erroris et poenitentiae, si qua est, confessio; sibi metuit, ne, si Laium occidisse convictus sit, suis ipse edictis et imprecationibus teneatur et, quod antea vidimus, regnum amittat. Itaque quum perpetratae caedis per se non poeniteat, rectius fortasse contracti culpa sua periculi conscientiam hic deprehendi dicemus. Ceterum haec omnia Sophoclis propria; alii enim haec finxerant ita quidem, ut Oedipus Jocastae statim post susceptum regnum locum, ubi Laius occisus erat, monstraret [2]).

Deinde vero, quae de vita ante acta narrat, ita composita sunt, ut eum sua culpa in miserae fortunae discrimen adductum esse existimare possimus. Omnia

---

1) v. 775 — — ἡγόμην δ' ἀνὴρ
ἀστῶν μέγιστος τῶν ἐκεῖ πρίν μοι τύχη
τοιάδ' ἐπέστη, θαυμάσαι μὲν ἀξία,
σπουδῆς γε μέντοι τῆς ἐμῆς οὐκ ἀξία.

2) Schol. ad Eurip. Phoen. 1748 e Pisandro: εἶτα ἔγημε τὴν μητέρα λύσας τὸ αἴνιγμα· μετὰ ταῦτα δὲ θυσίας τινὰς τελέσας ἐν τῷ Κιθαιρῶνι, κατήρχετο ἔχων καὶ τὴν Ἰοκάστην σὺν τοῖς ὀχήμασι· καὶ γενόμενων αὐτῶν περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον τῆς σχιστῆς ὁδοῦ ὑπομνησθεὶς ἐδείκνυε τῇ Ἰοκάστῃ τὸν τόπον καὶ τὸ πρᾶγμα διηγήσατο· ἡ δὲ δεινῶς φέρουσα ὅμως ἐσίωπα· ἠγνόει γὰρ υἱὸν ὄντα.

enim poeta collegit et attulit, ut et in bona et splendida fortuna videretur constitutus et nimio sui studio pravaque dignitatis opinione in errorem abreptus. Primum autem, qua in re variatur ita, ut puerum eum apud agrestes humili usum cultu degisse ferant, apud Polybum Corinthiorum regem educatur et, quod non sine causa tam accurate dicitur, Polybo et Meropa ejus uxore parentibus utitur amantissimis et indulgentissimis, quippe quum unicus eorum haberetur filius. Deinde, quum in spem regni educari putaretur, in summo apud omnes cives honore fuit. Non igitur ignobilitate, humilitate, paupertate eum commoveri voluit poeta, ut ex ea terra, quae pro patria esset, discederet, sed ipse abjicit laudatam fortunam. Qua in re inprimis cernitur temeritas. Verbo enim in epulis ab homine aliquo per summam ebrietatem jactato ita animus percellitur, ut existimationem suam offendi ac perdi credat nec, quae sit crapulae vaniloquentia, cogitet; tum vero intempestive irritabilem animum esse apparet et eorum quoque, quae speciem contumeliae habent, impatientem. Quae est enim ea contumelia?

Non esse eum ejus viri, cujus videatur, filium, sed subditum ebrius ille jactaverat (v. 780.). Hoc etiamsi vere dicebatur, non erat dedecori, modo ne legibus Atticis, sed, quod fieri debet, aetatis heroicae jure res aestimetur. Apud Homerum enim non minus ii, qui *νόθοι* quam qui *σκότιοι* dicuntur, principum habent dignationem. Accedebat vero, quod ille id, quod probrum ipsi videbatur, non vere dictum esse docebatur. Ubi enim de re cum parentibus expostulavit et quaesivit, indignabundi illi temere id jactatum respondent et ita satisfaciunt, ut ipse mitigatum placatumque se fuisse confiteatur. Sed ad tempus tantum in parentum verbis acquiescebat, verecundia et auctoritate eorum non magis quam ceterorum hominum movebatur; pungebat res animum semperque succurrebat adeo, ut ne inscio quidem et invito patre et matre Delphos consultum abire vereretur.

His omnibus diligentissime a poeta compositis, qui proditur animus? hominis, credo, temere, contumaciter, impie consilia sua capientis et peragentis. Haec autem consilia a libero ipsius animi motu proficisci nemo non videt; in his ipsis consiliis principium et causam insequentium facinorum esse apparet. Itaque dubitari non potest, quin poeta Oedipo suo culpam illam, quam quaerimus, tribuendam esse significare voluerit.

Id ex iis quoque intelligetur, quae statim addenda sunt. Facile credas Oedipum primo ancipiti consilio sumpto graduque prolato inevitabili quodam rerum nexu et animi errore ad facinora illa patranda esse protractum. Quod

vereor ne aliter poeta judicandum esse voluerit. Ut id intelligamus, accurate inspicienda sunt quae deinceps de Laii caede exponuntur et maxime, quo loco et qua ratione caedem factam esse fingat poeta, videndum. Et locum quidem Aeschylus [1]) ea, quae prisca Boeotiorum traditione pervagata erant, tenens, apud Potnias, inferioris Boeotiae oppidulum, Potniadum Dearum, Cereris et Persephonae, cultu inclutum esse scripserat; qua re, quum Erinnyes quoque Potniades appellentur [2]), uti potuerunt, ut Oedipum sacrum Eumenidibus fuisse dicerent.

Sed de hac re nihil est apud Sophoclem. Is enim quum eandem rem transferat ad angustissimas illas „trifidae Phocidis“ fauces, ab hoc ipso Oedipi et Laii concursu nominis celebritatem nactas, aliud eum consilium secutum esse putabimus. Videtur autem hoc fuisse, ut statim appareret, eum esse animum Oedipi, a quo id, quod Deus Delphicus modo praedixerat, facile proficisceretur. Ea enim est loci natura, ut homo ferox et iracundus obviam venientium impedimento facile offendi et lacessi potuerit. Quid vero de re ipsa est apud poetam? Redit Oedipus Delphis diro illo de parentibus oraculi responso accepto, idque eo consilio, ut Corinthum, quam putabat suam esse patriam, fugeret. Incedit pedibus per illas fauces, occurrit Laius Daulide ut videtur curru vectus. Qui quod non de via deflectit et ipsum, ut dicit, per vim decedere cogit, per iram aurigam percutit, tum currum praeteriens, quum a rege stimulis petatur, et ipsum et omnes comites trucidat. Hac in re minus fere notabile atque insigne est, quod caeca statim ira animique impotentia aufertur, quam quod etiam tum, quum ipse haec narrat, graviores aequo et merito poenas illos dedisse, hoc est sensisse, quem lacessissent, aperte profitetur. Neque temere poeta ei hunc ingenuitatis colorem inducit; ita enim omnia, quo modo caedem ille fecerit, monstrant. Primum enim quantae arrogantiae et superbiae est postulare, ut currus sibi decedat idque in iis maxime angustiis? quantae iracundiae eum, qui postulata, antequam prolata sunt, facere negligat, caedere? Nam quod se per vim de via extrusum esse dicit [3]), id non ejusmodi esse apparet, ut malo consilio et cum superbia

1) Schol. ad Soph. Oed. Reg. 733: — *ἐπῆμεν τῆς ὁδοῦ τροχήλατον*
σχιστῆς κελεύθου τρίοδον, ἔνθα συμβολάς
τριῶν κελεύθων Ποτνιάδων ἠμείβομεν.

2) O. Mueller ad Aesch. Eum. p. 176.

3) v. 804: *ξυνηντίαζον, κἀξ ὁδοῦ μ᾽ ὅ θ᾽ ἡγεμών*
αὐτός θ᾽ ὁ πρέσβυς πρὸς βίαν ἠλαυνέτην·
κἀγὼ τὸν ἐκτρέποντα τὸν τροχηλάτην
παίω δι᾽ ὀργῆς. κ. τ. λ.

illata ei sit injuria, sed ut eo obviam vehiculo eunte et non cedente non fieri non potuerit. Deinde quod non satis habuit par pari referre, si quid referendum esset, sed regem ipsum omnesque comites obtruncavit, quanta animi ferocia fuerit, aperte monstratur. Magis quoque haec omnia qualia sint intelligetur, si quis, quae de eadem re apud alios traduntur, comparaverit. Nusquam enim in hac re, quantum video, tanta, quanta apud Sophoclem, Oedipi temeritas, insolentia et iracundia cernitur. Atque apud Euripidem [1]), qui eodem loco haec facta scripsit, quum obviam factus Laio, inclamante auriga, invito quidem animo de via declinaret et currum praeteriens vulnus equorum ungulis inflictum tulisset, tum demum ira percitus injuriam caede ulciscitur. Multo etiam excusatius facinus est, si, quod Apollodorus [2]) narrat, ipse curru vectus iis locis obviam venit Laio et a Polyphonte ejus auriga graviter lacessitus vim vi repellit.

Haec omnia, quae apud Sophoclem sunt, ut facile, quae Oedipi culpa sit, significant, ita aliud accedit, quod eodem revocari debeat. Nusquam enim, ut paucis hoc quoque moneamus, per totam fabulam expiatam et purgatam illam caedem esse indicatur. Imo, quum, ut supra vidimus, rem ipse de industria celasset celatamque semper, summa demum urgente necessitate uni Jocastae aperiret, eam expiationem ab eo prorsus neglectam et contemptam fuisse credemus. Et tamen contemnenda non erat, nec contempta videtur [3]); requirebatur enim quam maxime, si quidem, quae Plato [4]) de ea re docet, de Graecorum consuetudine et moribus dicta esse existimare licet, Pertinet hoc ad illam, quam supra notavimus, caerimoniarum et legum divinarum negligentiam Deorumque ipsorum contemptum a nulla quidem re nisi a temeritate animi et suae sapientiae viriumque admiratione profectum.

Reliquum est, ut paucis de ea re exponamus, qua maxime poeta suam cul-

---

1) Phoen. v. 39: *καὶ νιν κελεύει Λαΐου τροχηλάτης*
ὦ ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο.
Ὁ δ' εἷρπ' ἄναυδος, μέγα φρονῶν· πῶλοι δέ νιν
χηλαῖς τένοντας ἐξεφοίνισσον ποδῶν·
ὅθεν-παῖς πατέρα καίνει.

2) Apollod. III, 5, 7.

3) Schol. Eurip. ad Phoen. v. 44: *δεῖ νοεῖν ὅτι ὁ Οἰδίπους φονεύσας τὸν Λάϊον, ὡς ἐναγὴς παραχρῆμα οὐκ εἰςῆλθεν εἰς τὸ ἱερὸν. — ὑποστρέψας δὲ εἰς Κόρινθον καὶ καθαρθεὶς τὸν φόνον — ἐπανῆκε πρὸς τὸν θεόν.*

4) Plato. Legg. IX. p. 865 seqq. Maxime huc pertinent, quae de caede per iram commissa disputantur p. 866 et 67.

pam Oedipo tribuendam esse monstrasse videtur. Regnare per hanc fabulam ironiam illam, quam dicunt, divinam omnes fere consentiunt. Et vere id existimari non potest negari. Nudabitur ea primum, si quis diligentius ea attenderit et inspexerit, quae ambigue dicta sunt, hoc est, ea, quae ita ut dicta sunt, intelliguntur quidem, sed simul id sententiae habent, ut loquentes, longe aliter, quam ipsi sentiunt, ea futura tristemque atque acerbum eventum habitura esse, non videant. Gravissime his animi commoventur, si ipse Oedipus ea proloquitur et jactat. Ea vero tam multa sunt, in priore maxime fabulae parte, et ad intelligendum poetae consilium tam gravia, ut in iis illustrandis parum curae et diligentiae positum esse hucusque ab interpretibus jure mireris. Nam non ea solum huc revocanda sunt, quae satis aperta videntur, sed etiam ea, quae tecta quasi latent, indaganda. Deinde vero facilius ironia illa iis cognoscitur, quae Oedipus peragere sibi proponit. Ea enim mirum plane est, qua ratione omnia contra, quam ipse et censeat et velit, eveniant. Hoc vero, quod hujus est ironiae, adeo non accidit fortuito, ut totius tragoediae consilium, vim ac gravitatem contineat.

Quod quum animadverteretur, duram illam fati vim, qua exerceretur homo innocens, mitigari ea re et excusari putaverunt. Quod quo modo fiat vel fieri possit, equidem non satis assequor; videtur potius ea vis ita augeri, ut iniqua, crudelis, exsecrabilis haberi debeat. Quorsum enim tendit omnino ea ironia? nempe non eo, ut homines miseri et fortuna, non culpa, calamitosi ludantur et rideantur; clementiam et misericordiam et flagitant ii et impetrant. Itaque si Sophocles Oedipi culpa omnino vacantis verba et consilia ironiae acumine perstrinxisset, non minus ab humanitatis quam ab artis legibus aberrasset. Quod quum non concedatur nec possit concedi, eundem apud eum, qui ubique est, ironiae locum datum esse vel licet existimare vel necesse est. Datur autem, ut satis inter omnes constat, ironiae locus, ubi aut nimia prudentiae, sapientiae aliarumque virtutum opinio inaniter se jactat, aut aliqua animi voluntatisque confidentia res magnas etiam laudabiliter peragere conatur viribus parum sufficientibus. Non ea, quae bona, non, quae mala sunt, ironiae facetiis vel salibus insectanda videntur, sed quae stultitiae et perversitatis propria habentur, ea putantur exagitanda. Haec autem omnia quam maxime cadunt in Oedipum. Is enim, ut Sophocles quidem voluit, fuit animus, ut totus suus esse, suis stare viribus vellet nec aliunde pendere; ea suae sapientiae opinio fecit, ut ceteros homines prae se despiceret, atque si quid ab iis suis consiliis impedimenti objectum videretur, ad summam ferociam et iram abriperetur; ita factum est, ut Deos negligeret et con-

temneret; ita denique factum, ut quamquam bona et laudabilia semper agitabat consilia, nihil boni ad exitum perduceret, sed in summam miseriam ipse incideret aliosque deduceret. In hanc igitur hominis insipientem sapientiam et impotentem potentiam poeta divinam illam ironiam immisit et tragoediam plane perfectam omnibusque numeris absolutam reliquit. Nam nimia illa prudentiae opinio viriumque fiducia et metu eo, quem tragicum dicunt, et misericordia incredibiliter animos commovet.
